

Bibliothèque numérique


medic@


de Lyvernette, Pierre-Jean - candidat /
Jallet, Nicolas-René - président. - [De
morbis penis]

1755.

*Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae*

Cote : ms 2342, n°45







ILLUSTRISSIMO, CLARISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO,
LUDOVICO - GABRIELI F. BAJULIVO
DE FROULLAY,

EQUITI MAJORI ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI,
NECNON EXTRAORDINARIO APUD REGEM CHRISTIANIS.

LEGATO MELITENSI

*Vovet, offert & consecrat obsequentissimus P. J.
DE LYVERNETTE, Chirurg. Studios.*

THESES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



I mira corporis humani compages, ita fuit disposita, ut partes quæ non solum ad conservationem & nutritionem, sed & ad Generationem pertinent, innumeris sint morbis obnoxia; quot & quantis quæ Chirurgia suppeditat auxiliis, sanantur & debellantur isti affectus? Quapropter de morbis Penis tantum dicturi, quid quid partem istam spectat examini Anatomico in antecessum subicere juvat.

A

PENIS primum est Generationis organum ; quicquid
ejus spectat dispositionem & compositionem externam , satis ab
omnibus notum.

PLURIMA in Pene sunt observanda, cuticula scilicet, cutis,
præputium, corpora cavernosa, Urethra, & Glans. Cutis & cuticula,
sunt ut & aliarum partium , tegumenta communia. Illud tamen
observatu dignum videtur, quod cutis hæc in parte sit tenuior,
& sic in se ipsam revolvatur, ut quandoque denudet partem ex-
ternam Glandis, & quandoque cooperiat, quæ quidem pars
extrema Urethrae denominatur Glans, habitâ ratione figuræ.

PARS ista dividitur præcipuè in apicem, coronam, & partes
laterales, componitur cute admodum sensibili, quæ quidem sen-
sibilitas ab innumeris papillis nerveis producitur. In coronâ &
basi Glandis plurimæ reperiuntur glandulæ, sebaceæ dictæ, se-
cretioni humoris cujusdam sebum æmulantis inservientes. In apice
observatur Urethrae apertura.

DUPLICATURA cutis sic in se ipsam revoluta, efformat
ligamentum quoddam, frænulum dictum, cujus insertio reperitur
in parte infimâ Urethrae.

CORPORA cavernosa sunt duo corpora cylindrica & spon-
giola, quæ distincta, oriuntur ab ossibus pubis; deinde juncta ad
Glandem usque extenduntur. Distinguntur à se invicem à septo
peculiari instar cribri perforato. Vasa istius partis oriuntur ab
hypogastricis, Nervi verò ab ultimo pari sacro.

URETHRA est Canalis membranaceus, ferè cylindricus,
Vesicæ collo continuus, usque ad Glandis orificium protensus,
nec non urinæ & seminis emissioni dicatus. Situs est in sulco inter
corpora cavernosa inferius efformato. Cujus progressus singulari
modo inflectitur, præsertim versùs principium, undè Urethra
curvatura vocatur. Illius cavitas calami scriptorii diametrum,
non malè refert.

URETHRA componitur ex duabus membranis, exteriori,
scilicet & interiori, corpore quodam spongioso intermedio. Hæc
rara, tenuis, & admodum sensibilis, multis pertusa foraminibus,
illa verò densa & fortior. In parte interiori Urethrae, præsertim
versùs Perinæum, multæ reperiuntur (a) plicæ, sic dispositæ, ut à
collo Vesicæ, usque ad Glandem, ut ita dicam, inflectantur, è

(a) Ut annotavit Dominus le Cat, Academiæ Regalis Chirurgiæ socius,
in Transactionibus Philosophicis,

3

contrà à Glande usque ad collum Urethræ eleventur. A quâ structurâ cautela Chirurgica præferim adhibenda.

PLURIMA etiam reperiuntur oscula ; ex quibus continuò effluit liquor mucosus , quo defendatur membrana à salium vellicatione , quæ simul volvunt urina & semen. Dividuntur ista foramina in majora , & minora , quæ quidem nihil aliud sunt quàm hiatus Canaliculorum excretoriorum , glandularum prostaticarum , vel glandularum à celeberrimo Cowperio & aliis detectarum.

BULBUS sive protuberantia Urethræ , est pars ejus proxima prostaticis , substantiæ spongiosæ , figuram cepæ minoris referens.

PROSTATÆ sunt glandulæ , substantiâ spongiosâ conflatæ , sitæ versùs principium Urethræ , & collum Vesicæ ambientes , dividuntur in partem anteriorem & posteriorem. Pars anterior dicitur apex , posterior verò basis , magnitudo est nucis circitèr juglandis.

IN Urethræ principio , istâ glandulâ cincto , observatur eminentia quædam caput gallinaginis vocata , duobus gaudens oculis ; proximè adsunt Canales excretorii decem , vel duodecim , vulgò in homine , & continuò liquorem quemdam albicantem ad Urethræ cavum lubricandum effundentes.

TRES etiam reperiuntur glandulæ , Cowperianæ dictæ , quarum duæ utrique Urethræ lateri adjacent ; inter musculos acceleratores & bulbum. Observatur & altera ab eodem Authore detecta , quæ situm obtinet in angulo curvaturæ sub ossibus pubis , reperitur altera Litriana dicta inter utramque Urethræ membranam infra prostaticas sita. Adsunt etiam plurimæ glandulæ in textu spongioso Urethræ absconditæ , quarum hiatus in tota canalis longitudine dicuntur lacunæ.

IN parte internâ & infimâ Urethræ observatur depressio quædam , ob figuram , fossicula navicularis dicta , quandòque Gonorrhææ sedes. Penis jungitur Syncondrosi ossium pubis , ope ligamenti quod dicunt Vesalii , ab inventoris nomine.

MUSCULI Penis erectioni potissimùm inservientes duo præcipuè numerantur , qui utrinque oriuntur ab ossibus Ischii , inter illorum tuberositates & initium corporum cavernosorum , deindè lato tendine , versùs latera eorundem inferuntur.

ADSUNT etiam musculi acceleratores & transversii dicti .

sed propriè non Peni sed Urethræ inserviunt. Urethræ musculi duo numerantur dilatatores, scilicet & transversi, oriuntur plerumque ex ossium Iſchii tuberositate, & inseruntur in partem posteriorem bulbi. Quandòque adest alter musculus dilatator posticus aut triangularis, oritur è parte anticâ Sphincteris Ani, & in partem posticam & inferiorem bulbi inseritur.

EX CHIRURGIA.

QUIDQUID potest difficultatem mingendi producere, pro morbo gravi censeri debet. Plurimæ igitur hujusce difficultatis numerantur causæ. Urethræ scilicet fibrarum constriction, plicæ Canalis tumefactæ, prostaticarum tumor, & induratio, ulcuscula benigna aut maligna, quandòque Vesicularum Seminalium ingurgitatio, turgens Verumontanum, Sphincteris Vesicæ inflammatio & irritatio, callositates, cicatrices, ulcera. Canalis minutio, corpora extranea, diversa denique quæ infastæ curationi succedere possunt accidentia.

REMEDIA igitur, quæ Canalis diametrum augere, ulcera detergere, cicatrici favere, anfractus delere, induratas partes emollire & resolvere, à Chirurgo sunt adhibenda. Diversa tamen sunt, habitâ ratione accidentium.

DIAGNOSIS varia difficultas etenim mingendi; quandòque producitur ulcere quodam in meatu urinario, sæpè sæpius post Gonorrhææ vitiosam curationem relicto; ex quo materies acris admodum, urens, & quasi caustica sensim ac pedetentim destruit membranam tenerrimam, quâ destructâ & erosâ, ad substantiam Urethræ spongiosam pervenit. Tunc adest effluxus materię purulentæ & aliquoties cum hæmorrhagiâ.

Ex Urinarum inspectione Diagnosıs etiam diversa; si enim in Urinâ vel post Urinæ fluxum paululum videatur materię purulentæ, certissimum est signum adesse ulcera, callositates, cicatrices, tum in meatu urinario, tum in prostaticis, & Vesiculis Seminalibus, aut in omnibus istis partibus simul, undè quandòque fistulæ. E contrâ si post Urinæ fluxum, ne minima quidem puris pars reperiatur, tunc Verumontani indurati, aut prostaticarum Schirrosarum indubitatum signum est.

PROGNOSIS plus minusve periculosa, prout diversæ sint causæ.

3

CURANTUR Urethræ morbi remēdiorum generalium, & peculiarium ope; sub illorum classe comprehenduntur, venæ sectiones plus minus-ve repetitæ, balnea, potiones diluentes, & dieurethica.

REMEDIA peculiaria diversimodè sunt adhibenda, multa etenim, & gravia profligantur accidentia, in auxilium vocatis cereolis (a), qui ratione compositionis diversi habentur. Alii conficiuntur ex felum intestinis contortis, inque filum productis (gallicè *corde à boyau*). Alii ex linteo, cerâ, vel aliocumque medicamine, pro re natâ imbuti, & in speciem cylindri gracilis efformato.

INTER illos numerantur, qui ob figuram vocantur cavi (b); componuntur ex filo argenteo complanato, & sic in spiram contorto, ut flexiles sint, & ex linteo, cerâ, aut aliis medicaminibus imbuti cooperti, intrudendi eâ sunt cautelâ ut meatum non irritent, itaque protrahendus Penis supra cereolum eo modo quo evanescant, curvaturæ multiformes, & lacunæ nimium tensæ, obliniendique sunt oleo, ut facilius sese inter sinus meatûs urinarii tortuosos elabantur. Plurima quæ cereolorum compositionem ingrediuntur medicamina, numerantur: soporativa scilicet, emollientia, resolutiva, deterfiva, suppurantia, epulotica, seu cicatrisantia. In acutissimis doloribus, cereoli soporativo medicamine imbuti, felici cum successu adhibentur, dolores enim sedantur, & inflammatione temperatâ facilius minget æger.

SUB secundâ cereolorum specie, emollientes nascuntur. Componuntur instâr fili, & admodum flexiles, medicamine quodam imbuti. Quorum gradatim augetur diameter, prout distenditur meatus urinarius. Quâ de causâ violentis cum conatibus non debet Chirurgus fluxui Urinæ in Vesicâ contentæ favere, sed remēdiorum emollientium ope, ut jam diximus, faciliorem reddere Urinæ viam.

SI Canalis in se ipsum coërceatur ob ingurgitatam Urethræ substantiam spongiosam, remedia resolventia præcipuè anteponenda.

(a) Multi cereolorum compositionem descripserunt, Gordonius, anno 1200 Borellus, Riverius, Fallopius, Petrus Forestus, Pequetius, Eustachius, & plures alii. Inter Chirurgos extraneos, Godisden anno 1390, Fabricius Hildanus, Ambrosius Paré, Saviard, Blancardus, & inter Nostrates, Franciscus & Thomas Herardus, Chirurgi Parisienses, peculiarem cereolorum confectionem adhibuerunt: quâ usus est Bonaventura Guiardus, cujus filius Domûs Regiæ invalidorum Medicus Ordinarius compositionem tradidit nepoti suo patri meo æternum honorando.

(b) Hos in usum primus vocavit & cum successu Petrus-Joannes de Lyvernette modo laudatus.

8

CUM in curâ ulcerum Urethæ eadem sit praxis ac in aliis ulceribus, temperatâ & sedatâ inflammatione, partium textus relaxatur, remediârum suppurantium ope. Si pus sit albicans, adsit lævitas, æqualis consistentia, & foetoris absentia, tunc cereolæ epulotici & cicatrisantes introducendi.

TANDEM adest altera cereolorum species leviter corrodens, quam plures ad erosionem ulcerum introduxerunt. Sed istam rejicimus praxim, & tanquàm ferè semper noxiam censemus.

Has Theses, DEO JUVANTE, & Præsidente M. NICOLAO-RENATO JALLET, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur PETRUS-JOANNES DE LYVERNETTE, Parisinus, Artium Liberalium in Almâ Universitate Parisiensi Magister, & Nosocomiorum Militantium Antiquus Chirurgus.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Martis 8^o Aprilis, anno salutis 1755. à sesqui-
secundâ post meridiem ad septimam.*

P R O A C T U P U B L I C O

Typis DELAGUETTE, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobzæ, sub signo Olive.